pecunia honori sit, & animi hominum divitiarū admira- A tione capiantur, sed & quod noster hoc loco canit Vates pecuniosum, & externis affluentem bonis; beatum homines prædicant *a*. At Plato *b* longe verius plane miseram appellavit orationem illam, quæ divites nominat beatos, atque mulierum esse, ac puerorum. Nutricum olim constat (utinam non nunc) vota fuisse optare infantibus, ac precari opes, honorem, famam, quam beatam vocitabant vitam, de animi moribus, ingeniique præstantia nihil curasse. Nec meliora fere parentum ipsorum desideria; ut idcirco Seneca *c*, Lucillo suo omnium eorum contemtum optare ipsi, se scriberet, quorum illi ei copiam optaverant: & reprehenderet *d* si adhuc optaret, quod ipsi optaverat nutrix aut pædagogus, aut mater, nondum intelligens, quantum mali optaverint, & quam inimica nobis sint vota nostrorum, eo quidem inimiciora, quo cesserint felicius.

a Horat. 2. ser. satyr. 6. Euripid. in Iphig. & alii
b epist. ad Dionysii familiares.
c epist. 32
d epist. 60

Ejusdem generis innumeræ suppetunt de vulgari hoc judicio sententiæ; quin & communis fere approbatio, usus, experimentum. Nec opus hæc paradoxis Christianis refellere, quum ex iisdem profanis auctoribus promi reprehensio queat, declamantibus in divitias, & πάντων nominantibus ad philosophiam, ut alia omittam commoda, δι' ἑαυτῶν ἐπικούρημα, *per se edoctum subsidium*, immo & αὐτοδιδάκτων ἀρετὴν *per se doctam virtutem*. Vel illud persuadeat, B quod caducis opibus expleri animus numquam potest, sed accenditur magis, qui plurimas acquisivit, sibique pauperior videtur, quo ditior, nec raro illis parcit tamquam sacris, metuitque velut contingere *e* sacras, quæ sunt revera nihilominus lutea lucra, ut cum Persio *f* loquitur Augustinus *g*; quod quum apprehenduntur, manum inquinent. Paucis beatitudinem, salutemque contingere monachis persuadet, quisquis Hieron. notatur nomine, Auctor commentarii in psalmos, *quia complacuit Patri dare pupillo gregi regnum* h, & unam Christus animam ut salvaret, duo millia porcorum perire passus est *i*, eo quod pretiosior sit unius Sancti anima, quam infinitæ multitudines peccatorum; nec debet Monachus aspicere ad multitudinem peccatorum, sed ad conversationem, & paucitatem Sanctorum. Arnobius ait hic refelli eos, qui servientium Deo paupertate ridicule abutuntur, & causantur inedia laborare colentes Dominum, opibus affluere contemnentes. Tales docet ignorare, quod medicus his parsimoniam imperat, & continentiam præcipit, in quibus salutem venarum motibus deprehendit: quos vero morituros agnoscat, sinit suis omnibus delectationibus consentire.

e Horat. l. 1. saty. 1. & l. 2 satyr. 3
f satyr. 5
g 3. confess. cap. 12
h Luc. 12. 32
i Matt. 8. 13
Monachus non ad multitudinem peccatorum, sed ad conversationem sanctorum aspicere debet.

Quantum C bonum sit Deus hoc est summum & infinitum, non attinet probare. Sed quomodo noster dicatur, non semel ostensum est. August. vero tractans verba psal. 55. *k Ecce cognovi quoniam DEUS meus es tu*, ait hanc magnam scientiam esse; nostrum autem Deus esse, quum nobis subvenit, nosque ab illo alieni non sumus: omnium quidem esse, sed eorum proprie dici, qui eum diligunt, qui eum tenent, qui illum possident, qui illum colunt; plurimum dedisse nobis, ut ipsius essemus, & ipse esset noster. Mirabatur Cyprianus, quod DEUS nobis solis quasi sua hæreditate sit contentus, nobis vero non sufficiat DEUS; & Augustinus alicubi valde avarum pronuntiabat, cui non sufficeret Deus. Neque facit, inquit *l*, beatum hominem, nisi qui fecit hominem: nam qui tanta creaturæ suæ bona bonis, malisque largitur, ut sint, ut homines sint, ut vigentes sensibus, valentes viribus, affluentes opibus sint; se ipsum bonis dabit, ut beati sint: quia ejus hoc munus est, ut boni sint. Illi vero, qui in hac ærumnosa vita, in his moribundis membris, sub hac sarcina corruptibilis carnis, auctores suæ beatæ vitæ, & quasi conditores esse voluerunt, velut propriis eam virtutibus appetentes, D jamque retinentes, non ab illo fonte virtutum petentes, atque sperantes, DEUM superbiæ suæ resistentem sentire minime potuerunt. Rursum scribit *m*, quod ille est beatus populus, qui pro filiis suis, & pro filiabus ornatis (de his, & aliis mentio facta, ut in quibus filii alienorum, loquentesque vanitatem constituebant rationem beatitudinis) pro crassitudine boum, pro fœcunditate ovium, pro plenitudine cellariorum, pro integritate ædificiorum, pro pace, ac litibus, & jurgiis civilibus, pro ista omni fœlicitate, DEUM suum vult possidere, ut ipsum habeat pro omnibus qui condidit omnia, & dicat *n*, *mihi autem adhærere DEO bonum est*: colat eum gratis, colat quando ista dat, & quando aufert: & quando non dat; & nihil sic timeat, quam ne ipse se auferat. Ad hæc egregie idem Doctor cum antithesi sic loquitur *o*: (Aliquando transimus viam, & videmus amœnissimos & uberes

k vers. 10
l epist. 52
m ser. 20. de divers. c. ult.
n ps. 72. 28
o ser. 135. de verb. Domini cap. 6

fundos, & dicimus; cujus est ille fundus, afferitur illius: & nos dicimus; beatus homo: vanitatem loquimur. Beatus, cujus est illa domus; beatus est, cujus est ille fundus; beatus est, cujus est illud pecus; beatus est, cujus est ille servus; beatus est, cujus est illa familia. Tolle vanitatem, si vis audire veritatem. *Beatus est cujus est Dominus Deus ipsius*. Non enim cujus est fundus iste beatus est; sed ille, *cujus est Deus*, &c.) Tandem ut vita carnis anima est, ait idem Augustinus *p*, ita beata vita hominis, Deus est, de quo dicunt sacræ litteræ Hebræos. *Beatus populus, cujus est Dominus Deus ipsius*. Miser igitur populus ab isto alienatus Deo. Oportet nos Dominum eligere, ut sit nobis Deus, quia *elegit nos, ut simus ei populus peculiaris* q: profiteri debemus, quod *hic est Deus noster, & non æstimabitur alius adversus eum* r, persuadeamur, quod *beatus est homo, qui invenit eum* (sub vocabulis *sapientiæ*; & *prudentiæ*) & quod *melior est acquisitio ejus negotiatione argenti, & auri primi, & purissimi, & pretiosior cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari* s: certo sciamus quod si *dederit homo omnem substantiam domus suæ*, (immo totius mundi) *pro DEI dilectione, quasi nihil despiciet eam* t.

p 19. de civ. cap. 26
q Deu. 26. 18
r Bar. 3. 36
s Prov. 3. 15
t Cant. 8. 7

Beatum dixerunt populum cui hæc sunt.) Hieronymus, B & in Speculo Augustinus, *beatus populus, cujus talia sunt*. Alii, *beatus populus, cui sic est, cui contingunt hujusmodi*. Addiderunt Septuaginta interpretationem אשרי *asre*, ut intelligeremus alienorum filios de se ipsis, ac sui similibus, aut etiam alios de illis hoc dixisse, quod beati essent, quibus omnia prius dicta suppeterent, ἐμακάρισαν *beatificaverunt*. Alioqui אשרי *asre*, ut in primo Psalmo, & in aliis vidimus, *beatum* significat, vel *beatitudines*, vel *bene*, ac *beate esse*. Valet autem שככה *sceechacha*, ex ש *sce* articulo, & ככה *chachah* adverbio similitudinis, *cui sic*, seu *hoc modo*.

Beatus populus, cujus Dominus Deus ejus.) Primo loco est nomen יהוה *Jehovah* ineffabile, & proprium Deo vero, alterique incommunicabile. Augustinus, ac omnes fere antiquiores enarratores volunt includi ἐπανόρθωσιν, idest, correctionem sententiæ præcedentis, ut non beatus censeri debeat populis bonis cumulatus externis, sed *cujus Dominus Deus sit*; videlicet quoniam vix Deum verū pro suo habet Deo, qui erga illa bona afficitur. Nihil tamen vetat, ut quædam fœlicitatis pars ea concedatur, sed longe major, ac simpliciter tali nomine digna, quum quis Dei C cultorem se exhibet, ejusdemque gratiam quærit, & conservat, atque gloriam ab ipso expectat. Eodem pacto in Psalmo 32. *u*, canebatur *beata gens, cujus esset Dominus Deus ejus; & populus quem elegisset ipse in hæreditatem sibi*. Repete quæ ibi dicta sunt. Hic præterea notandum, quod comparatio supprimitur juxta posteriorem expositionem, ita ut *beatus populus* dicatur in isto membro, pro, *beatior*. Quemadmodum apud Oseam *x*, *misericordiam volo, & non sacrificium*, idest, magis misericordiam, ita ut videar nolle illius comparatione, sacrificium: apud Lucam *y beatus venter*, &c. quinimmo *beati*, &c. idem, *magis beati*, & *gaudium erit* z, *super uno peccatore pœnitentiam agente*, idest, majus; quam comparationem expressit Matthæus *a*, apud Joannem *b*; *beati qui non viderunt, & crediderunt*, hoc est beatiores. *Popule meus*, inquit per Esaiam *c*, Deus, *qui te beatum dicunt; ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant*. Conqueritur idem apud Malachiam *d*, de illis, qui loquebantur contra ipsum, dicentes, quod *vanus esset, qui serviebat ei, nec emolumentum esset custodientibus præcepta ejus, & qui ambularent tristes coram illo*: sed *beatos asserebant arrogantes, quoniam* D *ædificati essent facientes impietatem, & tentantes Deum salvi facti*. David *e*, noster alibi; Job *f*, etiam, Jeremias *g*, Abacuc *h*, eadem videntur locuti, ac simili pulsati cogitatione molesta, quod *pax esset peccatoribus*; quod *via eorum prosperaretur*: quod *viverent (feliciter) sublevarentur, confortarentur divitiis; prævalerent adversus justum, ac devorarent eum*. Atqui *beatificat eos* Jacobus *i*, *qui sustinuerunt*, exemplum Christi secutus, qui *beatos pauperes, mites, lugentes, esurientes, sitientesque justitiam, persecutionem patientes propter eamdem*, prædicavit *k*. Disputari nunc posset de caussis, propter quas Deus bona externa conferat justis, & injustis, ac istis quidem sæpius, ac fere copiosius: præterea, quare olim populo Hebræo velut mercedem servare legis. Incidit hac ipsa de re prius in aliis Psalmis mentio adeo crebra; ut nihil modo celeam addendum, sed monendum lectorem dumtaxat, qui forte non legit priora, ut si cupit, illa consulat, vel opportunæ disputa-

u vers. 12
x cap. 6. 7 Matt. 9. 13
y cap. 11. 27
z cap. 15. 10
a cap. 18. 12 & seqq.
b cap. 20. 29
c cap. 3. 12
d cap. 3. 14. 15
e ps. 72. 2. 3
f cap. 21. 7
g cap. 12. 1
h cap. 1. 2. 13
i cap. 5. 11
k Matt. 5. 3. & seqq.

putationi materiam aliunde colligat, quemadmodum, & A detam variis circa beatitudinem sententiis, atque quod tandem vera solum in Deo consistat. De populo Hebræo placet, quod Trevetus annotat hujuscemodi felicitatem temporalem concessam ipsi à Deo in aliqualem recompensationem, ut ipse loquitur, dilationis ingressu cœlestis usq; ad Christum; & peccatoribus Idololatriis negavisse, ut nimirum agnoscerent peccatum suum; fuisse etiam non quidem veram beatitudinem; tamen quoddam signum illius; quo scilicet justi excitari possent ad verum desiderium, & ad majorem Dei amorem, cultumque.

PSALMUS
CENTESIMUS QUADRAGESIMUS QUARTUS.

1 Laudatio ipsi David.

Exaltabo te Deus meus Rex: & benedicam nomini tuo in sæculum, & in sæculum sæculi.

2 Per singulos dies benedicam tibi: & laudabo nomen tuum in sæculum, & in sæculum sæculi.

3 Magnus Dominus & laudabilis nimis: & magnitudinis ejus non est finis.

4 Generatio & generatio laudabit opera tua: & potentiam tuam pronuntiabunt.

5 Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur: & mirabilia tua narrabunt.

6 Et virtutem terribilium tuorum dicent: & magnitudinem tuam narrabunt.

7 Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt: & justitia tua exaltabunt.

8 Miserator & misericors Dominus; patiens, & multum misericors.

9 Suavis Dominus universis: & miserationes ejus super omnia opera ejus.

10 Confiteantur tibi Domine omnia opera tua: & Sancti tui benedicant tibi.

11 Gloriam regni tui dicent: & potentiam tuam loquentur.

12 Ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam: & gloriam magnificentiæ regni tui.

13 Regnum tuum regnum omnium sæculorum: & dominatio tua in omni generatione & generationem.

Fidelis Dominus in omnibus verbis suis: & sanctus in omnibus operibus suis.

14 Allevat Dominus omnes, qui corruunt: & erigit omnes elisos.

15 Oculi omnium in te sperant Domine: & tu das escam illorum in tempore opportuno.

16 Aperis tu manum tuam: & imples omne animal benedictione.

17 Justus Dominus in omnibus viis suis: & sanctus in omnibus operibus suis.

18 Propo est Dominus omnibus invocantibus eum: omnibus invocantibus eum in veritate.

19 Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet: & salvos faciet eos.

20 Custodit Dominus omnes diligentes se: & omnes peccatores disperdet.

21 Laudationem Domini loquetur os meum: & benedicat omnis caro nomini sancto ejus in sæculum, & in sæculum sæculi.

Titulus & Argumentum.

Vers. 1.) Laudatio ipsi David.

Exaltabo te Deus meus, &c.

Titulus.

ADHUC similis titulus non occurrit, nec refert, quod Augustinus *laudis* utatur nomine pro *laudatione*. In Psal. 75. est *in finem laudibus*, vel *hymnis*: ubi adjicitur præterea nomen *Psalmi*, & *cantici*. In 90. *Laus cantici* αἶνος ᾠδῆς: licet Hebraice titulus nullus extet. Hoc autem lo- B co legitur תהלה *theillah*, & αἴνεσις: tametsi nonnulli codices habeant αἰνέσεως *laudationis*; & Aquila ὕμνησις *hymnus*; & pro articulo τῷ dativi casus, articulum τοῦ genitivi casus. Lyranus ait in translatione Hieronymi poni *hymnum*, huncque laudem divinam esse cum cantico seu exultatione: ita ut si non sit laus Dei, sed alterius personæ, & si desit canticum aut exultatio, dici non debeat hymnus. Eadem transcribit Ayguanus, quamvis nec Lyranum nominet, nec Hieronymum. Recitant Victorius, & Faber ex Hieronymo *laudatio David*: Trevetus autem eodem quidem modo, sed observat, quod hic solus psalmus est, in quo ponatur Hebraice תהלה *thehillah*; & quod alii usurpant *laudem* aut *laudationem*: in Psalmo autem 39, *a*, idem Hieronymus *laudem*, alii *hymnum*, vel *carmen*; & aliis in locis varie interpretantur. Totus liber psalmorum ut vidimus in præfatione *b*, inscribitur, ספר תהלים *sepher thehillim, liber hymnorum*, aut *laudationum*, sive *laudum*; nec ullus est Psalmus, in quo Deus non aliqua ratione laudetur. Nihilominus circa nomina *laudis laudationis sive* αἴνου καὶ αἰνέσεως discrimen illud, quod ex Lyrano C retuli, multo ante illum à Mysseno *c*, videtur notatum. Nam docens idem valere duplex Græcum jam dictum vocabulum, significari per id asserit τῶν θείων θαυμάτων τὸν ἔπαινον, *divinorum mirabilium prædicationem, & commendationem*; nec aliud esse ἔπαινον εἰ μὴ τὴν αὐτοῦ ἐπίτασιν, *laudem* sive *exaltationem in laudando, quam laudis intensionem*. Quod autem apponitur nomen *Davidis*, admoneri nos vult, tunc Dei laudandi jus, & libertatem adepturos, si Davidi similes evadamus.

a vers. 4
b cap. 9
c tract. 2. in ps. 203

Argumentū

De argumento hinc facile judicium. Nam toto Psalmo perpetua quædam laus Dei continetur, vel etiam Christi per se ac immediate, non autem, ut Hilarius, Augustinus, Prosper, Cassiodorus, Haimo, Davidis, & per ipsum; sive sub typo illius, laus Christi. Nec id innuit dativus casus *ipsi Davidi*, tum quia idem valere alibi docuimus, ac in genitivo *ipsius Davidis*: tum quia, ut paullo etiam ante monuimus, quidam Græci codices habent articulum τοῦ in genitivo casu. Promittit primum D David sed laudes Dei celebraturum; deinde laudat Deum ut notant Cassiodorus, Hugo, Ayguanus, Haimo, à novem rebus; ab operibus, potentia, magnificentia, sanctitate, mirabilius, virtute terribilium, magnitudine, memoriam suavitatis, justitia. Hæc vocat Cassiodorus Cataractas divini eloquii, fontes verborum cœlestium, ubera beata præconii, unde & humanum genus, pia confessione reficiatur, & Angelis beatitudo sine fine præstetur. In eodem præterea numero spectat honorē Trinitatis triplicate cognitum: sed & eumdem numerum contineri dicit in codicibus sacris, in Pentateuchum, in Regum, in Prophetis; in Psalt., in Salomone; in Hagiographis; in Evangeliis; in Epistolis Apostolorum; in Actibus Apostolorum, cum Apocalypsi. Faber circiter à Tribus & viginti laudari Deum ostendit, à magnitudine laudabilitate, magnificentia, gloria, sanctitate, virtute, exuberanti bonitate, miseratione, longanimitate, suavitate, regnandi amplitudine, fidelitate, operum puritate, auxiliatrice virtute, solicita providentia, & ut cuique convenit dispensatione, item à justitiæ universæ legis suæ; ab incoinquinatione per omnia: præterea, quod prope adsit omnibus eum invocantibus in veritate; quod timentium se voluntatem faciat, deprecationem exaudiat & salvat eos: quod diligentes se custodiat: quod impios & peccatores disperdat. Titelmanus numerat sedecim,

A quot & quibus rebus laudari Deus possit

interim debere nos, qui non capimus totum Deum, capere ex eo aliquid de operibus laudando Operantem, de conditis Conditorem, de creatura Creatorem, & ex his, quæ hic ab eo facta novimus, argumentari immensam bonitatem ipsius, & interminabilem magnitudinem, à qua facta sunt alia tam multa, quæ non novimus, ut *invisibilia ejus per ea, quæ facta sunt conspiciamus* a. a Rom. 1. 20 Non possum autem quin Hilarii præclara verba, quod rarius facio, recitem: (Hæc Dei prima, inquit, & præcipua laudatio est, quod nihil in se mediocre, nihil circumscriptum, nihil emensum & magnitudinis suæ habeat, & laudis. Virtus ejus opinione non clauditur, locis non continetur, nominibus non enuntiatur, temporibus non subditur; arctius ad id sensus noster est, ingenium hebes est, sermo mutus est. Finem magnificentia ipsius nescit, & aliquã emetiendi se opinionem immensam magnitudo non patitur. Extenta, ubiq; extenta semper est, hanc habens infinitatis suæ laudem: ceterum omnem intelligentiam infinitæ hujus in se qualitatis excedens.) In Soliloquiis August. b, b cap. 11 alloquens Deum, ait, (quod secundum magnam multitudinem magnificentiæ ipsius est etiã multitudo magna dulcedinis ejus, & immensus est, nec est finis magnitudinis, nec numerus sapientiæ, nec mensura benignitatis: non etiam finis, numerus, mensura retributionis; sed sicut magnus est, ita magna donaria ejus, quia ipsemet est præmium, & donum omnium legitimorum pugnatorum suorum.) Subtiliter, ac pie noster Bellarminus (cujus breviores commentarii, sed luculenti prodierunt ante nostros istos quales quales, sed prolixiores, licet eos diu ante elucubrare cœpimus) quatuor quasi partes magnitudinis cum Apostolo c, discernit in Deo latitudinem, longitudinem, sublimitatem, profundum. Quatuor veluti partes magnitudinis in Deo. c Eph. 3. 18 Latitudinem essentiæ divinæ considerat in immensitate, longitudinem in æternitate; sublimitatem, quia altissima est; profunditatem, quoniam incomprehensibilis: & hæc omnia infinita esse. Eadem præterea in Deo agnosci, ut Rex est, quia magnus Rex est latitudine dominii à primo Angelo usque ad vilissimam creaturam, *omniaque serviunt ei* d; d Ps. 118. c. 1 ac *in ditione ejus cuncta sunt posita* e, e Esth. 13. 9 longitudine durationis *regni, cujus non est finis* f: f Luc. 1. 33 diciturq; hic paullò post g: g vers. 13 *omnium seculorum, & dominatio ejus in omni generatione, & generatione*, tandem *potestas æterna* h: h Dan. 7. 14 sublimitate, quia regnat absolutissima, summaque potestate, ut *non sit, qui resistat* i, *ei*, sed *subsit illi quum volueris* k, *posse*: i Esther. 13. 9 k Sap. 12. 18 profunditate, quoniam *pertingit à fine usque ad finem* l, l cap. 8. 1 atque corda ipsa regit, & perscrutatur, ita ut nihil sit absconditum oculis providentiæ ipsius, & manibus potentiæ, & efficaciæ bonitatis. Adhæc, ut observat Ayguanus, *magna potentia Dei solius, quæ ab humilibus honoratur* m: *magnus est vincens scientiam nostram* n; utpote *scientiarum Dominus* o; *magna judicia ejus* p, & justitia: *magna misericordia, & propitiatio convertentibus ad se* q. m Eccl. 3. 21 n Job. 36. 26 o 1. Reg. 2. 3 p Sap. 17. 1 q Eccl. 17. 28 De Christo qua ratione magnus fuerit, & sit, prout Angelus futurum prædixerat r, r Luc. 1. 32 docuimus psalmo citato 47. & quo pacto differat ejusdem magnitudo ab ea, quam idem Angelus de Joanne vaticinatus est s, s vers. 15 & quinam dii magni apud fatuos Gentiles appellarentur. Affinis quoque ps. 146. t, t vers. 5 sententia; *magnus Dominus noster, & magna virtus ejus, & sapientia ejus non est numerus*. Magnum Deum Paulus Christum nominat scribens Tito u, u cap. 2. 13 ut præter omnes fere enarratores placet Augustino x; x cont. Maxim. l. 2. c. 7 atque Chrysost. y, y in epist. ad Tit. hom. 5 & hom. 6. in ep. ad Phil. & hom. de Trinit. qui posterior monet, quum dicitur in Deo, *magnus*, non relativè dici; sed omnino absolutè, ita ut post eum nemo rite dicatur magnus, numquam vero in scriptura Deum parvum vocari. Quod est contra Arianos, qui sic vocitabant Christum; & Apollinarium, qui Patrem Deum maximum, Filium majorem, Spiritum sanctum magnum ut Hæreseologi testantur, atque Nazianzenus z, z orat. 1. apol. & orat. 51. & epist. 1. ad Cled. qui hanc nominabat scalam non in cœlum subvehementem, sed potius nos à cœlo dejicientem. Elicit vero Chrysostomus Ethicum hoc documentum, ut quoniam magnum habemus Dominum, simus quoque nos excelsi, nosque à rebus, quæ ad hanc vitam pertinent, explicemus; sumamus spiritus, qui superent rerum præsentium humilitatem, non ut simus elato animo, & insolentes, sed magno, & excelso animo; & non arroganter propter res parvas jactemus nos ipsos, & gloriemur, & conservos despiciamus, sed mente humiles, præsentis vitæ umbras nihil esse existimemus. Magnitudo Dei infinita persuadet, ut hisce angustiis, minimè contenti magis, ac magis contendamus quotidie in vera crescere magnitudine, quæ consistit in Dei cognitione, amore, cultu, virtutibusque ceteris, Deum amemus absque modo, & quia nullus in hac vita limes est spiritualis perfectionis, in hac proficere studeamus, ascensiones in corde nostro disponentes in ista valle lacrymarum, & *eamus de virtute in virtutem, donec videamus Deum deorum in Sion* a. a ps. 83. 8 Hoc ait Nazianzenus b, b orat. 39 esse ἐφίεσθαι τῶν μεγίστων, ἢ τοῦ μεγίστου, ἢ ὑπὲρ τὸ μέγα desiderare res maximas, vel potius rem unam maximam, atque adeo magnitudinem omnem superantem. Quod Nicetas (ibidem c,) c ibid. n. 15 exponit de Deo, qui in maximis est, idest in tribus personis; & in maximo, propter substantiæ, & divinitatis unitatem; & magnitudine omni superior est, quia nec quantitate, nec amplitudine, nec magnitudine circumscribitur. Id vero confirmat loci præsentis auctoritate. Hortatur Paulus, ut *veritatem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput, Christus* d, d Ephes. 4. 15 idest quantum maximè valemus, quia Christus infinitus est, ac exemplar infinitæ charitatis: præterea, ut *in omni opere bono fructificemus, & crescamus in scientia Dei, in omni virtute confortati* e; deniq; *in augmentum Dei* f. e Coloss. 1. 10 f cap. 2. 19 Petrus item admonet, ut *crescamus in salutem* g; g 1. epist. 2. 2 *in gratia, & in cognitione Domini nostri, & Salvatoris, Jesu Christi* h. h epist. 3. 18 Ad extremum censenda nobis dumtaxat magna, magnique facienda, quæ propius accedunt ad Deum, & Dei æstimantur judicio magna. *Quod hominibus altum est, abominabile est ante Deum* i: i Luc. 16. 15 vir vere sapiens, ac justus *timentes Dominum glorificat, ad nihilum verò deducitur in conspectu ejus malignus* k: k Ps. 14. 4 *in omni fiducia magnificat Christum, Deumque, in corpore suo, sive per vitam, sive per mortem* l, l Philip. 1. 20 unusquisq; enim ad imaginem Christi formans animam suam, aut majorem ei, inquit Origenes m, m homil. 8 in Luc. aut minorem ponit imaginem, vel obsoletam, vel sordidam, aut claram, atque lucentem, & splendentem. Docet præterea magnificari imaginem animæ opere, cogitatione, sermone, ac tum grandem effici ipsam imaginem Dei, & in anima nostra magnificari, atque crescere Dominum in nostra imagine. At si peccatores fuerimus, dicit minui, ac decrescere. Subdit etiam pro imagine Salvatoris alias nos nobis inducere, nempe diaboli, & bestiarum.

Magnus Dominus, & laudabilis nimis.) *Valde*, habet Psalterium vetus, & Augustinus, sæpiusque hoc pro illo Latinè positum vidimus, quod etiam propiè sonat σφόδρα & מאד *meod*. Diximus quoque psalmo 47. n n vers. 2 Hebræum passivum participium מהלל *mehullal* accipi loco nominis. Quantam conceptionem, ait Augustinus, conclusit in uno *valde*? Qua de re dictum satis prius.

Et magnitudinis ejus non est finis.) Hieron., *& magnificentiæ ejus non est inventio*, aut apud Trevetum; *investigatio*, licet sic in commentario utatur translatione nostra, exponatque magnitudinem potentiæ infinitam. Meminit Chrysost. alium Græcè transtulisse ἐξεύρησις valet חקר *cheber* illam omnia à *chabar*; *quærere investigare, explorare, invenire, inquirere*. Unde forsitan vulgaribus linguis, *cercar*. Respexerunt LXX. ad sensum, quoniam rei non est inventio, cujus nec finis. Idem nomen vertitur fere semper per Latinum *investigationis*, aut aliud synonymum, sed simile מחקר *mechhar* transfertur, sicut hoc loco o, o Ps. 94. 4 *quia in manu ejus sunt omnes fines terræ*, quod alii exponunt investigationes, seu investigabilia, penetralia, & inferiora, quæ sciri nequeunt, & inveniri, nisi post magnam investigationem, & inquisitionem. Paraphrastes in hoc Psalmi nostri loco posuit סוף *soph*, quod *finem* significat. Magnitudinem Dei de ipsius essentia sumere licet, ut antea monuimus, vel de potentia, vel etiam de quolibet attributo, cui convenit carere fine, & infinitum esse; quæ infinitas etiam satis exprimitur in æternitate, immensitate, incomprehensibilitate, & similibus, quæ negationem limitationis involvunt.

Vers. 4.) Generatio, & generatio laudabit opera tua, & potentiam tuam pronuntiabunt.

Sensus loci.

MAgis cognosci potest vis, ac potentia Dei, immo & res cujuscumque, quam essentia illius, saltem à nobis. Tamen potentiam quoque Dei comprehendi non posse affirmat, nec ejusdem opera: sed quotquot sunt, erunt, fuerunt homines, quantavis, & quantumvis excellenti præditos intelligendi facultate, habuisse, habere, habituros esse, in quo ipsorum intelligentia occupetur; numquam deesse posse, quod homines considerent, admirentur, laudent; quamdium durabit hic mundus, prioribus hominum generationibus posteriores successuras in

eodem

eodem quasi munere contemplandi, atq; prædicandi opera infinitæ potentiæ divinę: *partes hæc nota futuros filiis suis* a: scribenda, quæ hac de re sint *in generatione altera, & populum, qui creabitur laudaturum Dominum* b: a ps. 77. 5 b ps. 101. 19 Lyranus, & Ayguanus interpretando fideles veteris Testamenti ante captivitatem Babylonicam, & eos, qui usque ad Christum secuti sunt, volunt invitari, & excitari laudem Dei; postea fideles novi Testamenti c: c vers. 10 *confiteantur tibi*, &c. tandem *omnes* d, d vers. 14 *allevat Dominus*, &c. Hebr os enim pro optativo uti futuro indicativo modi *Generationes* præterea sumi possunt, ut Chrys. videtur, pro rebus ipsis, quæ variis temporibus gignuntur per varias vicissitudines, & quidem in omni genere tam secundùm naturam, quam secundùm peculiarem quamdam providentiam Dei, & similiter opera tum de naturalibus, tum de miraculosis, ac supernaturalibus intelliguntur, ut placet Euthymio, & Nicephoro. Hic appellat ἔργα τὰ δημιουργήματα καὶ τὰ θαυματουργήματα. In Ecclesiaste e, e cap. 1. 4 *generatio, quæ advenit, & generatio, quæ præterit*, significant rerum corruptibilium vicarias generationes cum corruptionibus. Mysticè Hilarium recipio, etsi videatur litteraliter loqui velle, quum negat de generationibus hic agi, quæ de temporibus, & gentibus multæ, atq; adversæ sunt; sed de generatione, quæ ab Abraham cœpit, & per signum circumcisionis deputata est in legem: præterea de illa, quæ renovatur in Christo & ex doctrinis Propheticis ad fidem Evangelicæ prædicationis instruitur. Arnobius, Theodoretus, Cassiod. consentit. August. Prosper, Ayguanus exponunt de hominibus hic generatis, & de iisdem per resurrectionem regeneratis: Bruno de hominibus præsentis tantùm temporis, qui videlicet hic diversæ sunt, quoniam in alia vita simplex erit sanctorum generatio, & in omnibus perfecta Dei cognitio, atque laudatio, ubi nemo dicet proximo suo; *cognosce Deum*, quia *omnes scient illum à minimo usque ad maximum* f: f Jer. 31. 34 putatus Hieronym. de iisdem fidelibus, quos fides protulit, & Christi passio procuravit.

Generatio, & generatio laudabit opera tua) Hieron. & August. in speculo *generatio ad generationem laudabit opera tua*. Alii, *generatio generationi, posteritas posteritati*: g Ps. 18. 3 nempè veluti per manus tradendo Hebraicè לדור דור *dor ledor*, propriè *generatio generationi*; eo modo, quo *dies diei eructare* dicitur *verbum*, *& nox nocti indicare scientiam* g: Videtur Apollinarius legisse non ut nunc extat in casu nominandi γενὰ καὶ γενά; sed dandi, γενᾷ καὶ γενᾷ; exponit enim.

ἔργα σεῖο φύλοισι πανάρχατε φῦλα βοήσει.
Opera tua generationis, Beatissime, generationes clamabunt.

Ac si nimirum non generatio; & generatio laudatura dicatur opera Dei sed ipsamet opera sint Deum laudatura apud generationes; & hoc modo legamus γενᾷ καὶ γενᾷ ἐπαινέσει τὰ ἔργα σου, ubi singularis numeri verbum ἐπαινέσει rectè construitur cum pluralis numeri neutro nomine. Arabicè *generatio post generationem annuntiabit opera tua*. In Romano Psalterio, & apud Cassiod. *generatio & generatio laudabunt*: apud putatum Hieron. *generatio & progenies*: De his vocabulis diversarum linguarum actum alibi. *Generatio & generatio* significant multas generationes; quemadmodum psa. 86. h, *homo & homo* multos homines, ac universe apud Hebræos nomen eodem casu geminatum denotat magnam multitudinem. h vers. 5 Apud Hebræos nomen code casu geminatum multitudinem denotat.

Et potentiam tuam pronuntiabunt.) Hieron ac in speculo August. *& fortitudines tuas annuntiabunt*: quod significat גבורתך יגידו *uguurotbec Ka iaggbidu*: id est, opera magis eximiæ potentiæ, roborisque ut diluvii, & eversionis Sodomæ, inquit Cajetanus. Exempli caussa Lyranus profert liberationem de captivitate Ægyptiaca & de Babylonica, cujus generis alia plura commemorari possunt. Legerunt LXX singulari numero in regimine גבורתך *gbevurathecha*. In vetere Psalterio, apudq; August. Prosperum; *& virtutem tuam annuntiabunt*, τὴν δύναμιν. Idem August. monet, ut in operum Dei laude operator Deus non taceatur, sed maximè prædicetur, atque in operibus laudetur creator, ne ingrati simus laudatores: qui nisi tantus ille esset, non inveniremus; quod laudaremus, nimirum species, utilitas, aliqua virtus, & potentia; quum nihil Deo sit pulchrius, utilius, potentius. Immo tradit etiam rationem, qua nos ipsos sine arrogantia laudet os nostrum, quamvis id caveri videatur i, i Prov. 27. 2 nempè quatenus opus Dei, & nos sumus, Deumq; in nobis audamus, non nos: non quia tales simus, sed quia ille fecit nos, non quia nos aliquid possimus, sed quia potest ille in nobis, & per nos. Non potest Deo gratus existere pro collatis beneficiis nisi beneficia ipsa in se ipso agnoscat. Nec veritati adversatur humilitas sed humilis potest esse, qui si plura se accepisse vere cognoscit, fideliter majores collatori gratias agit: qui nihil habere se scit, *quod non acceperit*, ac proinde, *non gloriatur quasi non acceperit* k: k 1. Cor. 4. 7 qui si quid potest, *in eo, qui se confortat* posse, intelligit l; l Philip. 4. 13 si quid est, *gratia Dei esse quod est* m; m 1. Cor. 15. 10 si quid laborat, *non se, sed gratiam Dei secum* n, n ibid. id operari; deniq; qui certus est, ac profitetur, quod *operatur Deus in se velle, & perficere* o, o Philip. 2. 13 immo *omnia in omnibus* p. p 1. Cor. 12. 6

Vers. 5.) Manificentiã gloriæ sanctitatis tuæ loquentur, & mirabilia tua narrabunt.

Sensus loci.

DEinceps distinguere videtur Propheta in laudabilibus operibus Dei, qui sanctus est, ipsaq; sanctitas, tria quasi genera; quædam admirabilia, ob splendorem, pulchritudinem, gloriam, magnificentiam, excellentiam, majestatem, quales *cœli enarrantes gloriam Dei* q. q Ps. 18. 1 nonnulla terribilia; aliqua amabilia; de quibus ultimis duobus in versibus, item in consequentibus duobus In hoc itaq; versu commendatur Dei Regis decor, splendor, dignitas, prętantia, majestas, quę admirabiliter enitescant in operibus quibusdam præcipuis, regium nomen, ac decus præ se ferentibus, & prædicantibus. Euthymius per *magnificentiam*, atq; in versu sequenti per *magnitudinem* intelligi voluit excellentiam divinæ naturæ, sapientiæ, potentiæ; per *mirabilia*, tum quæ in aliquorũ hominũ beneficiũ facta sunt, ut pro Hebræis duplex columna, rubri maris divisio, aqua ex petra, coturnix, manna, &c. tum contemperatas temporum mutationes, ut in pratis, hortis, fontibus, fluminibus, pluviis, ventis, floribus, fructibus, in Solis quoque, ac Lunæ, & stellarum luminibus, tandem in cunctis, quæ tam in animantibus, quam in inanimitatis admiratione digna sunt. Chrysostom. exempla illa prioris generis de beneficiis in Hebræos profert: Basilius affirmat etiam de suppliciis.

Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur.) Hier. & in speculo August. *Decorem gloriæ magnitudinis tuæ, & verba mirabilium tuorum loquar*. Quod Trevetus explicat de decora apparitione gloriosæ magnitudinis, qua Deus apparuit in Sina: & (quod ad sequens membrum spectat) de mirabilibus verbis legis, aut etiam de mirabilibus factis, (accipiendo verba pro factis) quę operatus est in gratiam populi sui. Alii vertunt, *Decorem gloriæ magnificentiæ tuæ*, idest, *splendidam, atq. gloriosam magnificentiam tuam, & res mirabilium tuorum loquar*, seu *gesta tua mirabilia meditabor*, vel *honorem, amplitudinem, magnificentiam, & res tuas mirabiles loquar, gloriã majestatis tuæ magnificæ, & res tuas cum admiratione factas commemorabo, decorem laudis*, aut *celebrationis*, aut *confessionis tuæ*, &c. *pulchritudinẽ honoris laudis tuæ*. In textu Hebr. verbum unicum est in fine mẽbri sequentis primæ personæ singularis אשיחה *asichab*, de quo sæpè dictum: cetera sunt tria nomina, quæ alias etiam occurrerunt, הדר כבוד הודך *badar, chevod, hodecha*, ultimum cum affixo secundæ personæ: & duo prima in regimine. Ac secundùm quidem *gloriam* ubique significat: primum in psal. 149. r, r vers. 9 exponitur etiam *gloria*: sed & *magnificentia* in 95. s, s vers. 6 & 100. t, t vers. 3 & 28. u, u vers. 4 *decor* in 103. x, x vers. 1 & in 20. y, y vers. 6 *honor*, in 8. z, z vers. 6 *splendor* in 109. a a vers. 3 tertium *confessio* in Psalmis fere semper, idest, laus celebris, seu celebritas ipsa, & dignitas, ac majestas, unde quis celebratur, celebrisve, & gloriosus redditur. In psal. 8. b, b vers. 2 ponitur nomen *magnificentiæ* in 44. c, c vers. 5 *speciei Sanctitatem*. Interpres noster sequutus LXX reddidit, utentes nomine ἐξομολογήσεως, quia nihil dignius confessione laudis, celebritate, gloria, quodque majore præ se ferat dignitatem, majestatem, magnificentiam, speciem, seu pulchritudinem, quam sanctitas; ita ut dici possit magnificentissima gloria, vel gloriosissima majestas (sic enim resolvi debent substantiva per adjectiva superlationis, ut filius perditionis, idest, perditissimus) sanctitatis Dei. Iterum versu 12. infra nominatur *gloria magnificentiæ regni Dei*, quę hoc loco *magnificentia gloriæ*. Sed & Petrus d, d 2. Epist. 1. 17 *magnificam glo-*

riam, transfigurationis cognominavit μεγαλοπρεπε'α δόξαι, quæ vocat hic μεγαλοπρέπειαν δόξης, & versu 12. δόξα τῆς μεγαλοπρεπείας. Magnificam vero gloriam August. a, interpretatur magnificam potestatem. In Psal. aliis dicuntur *magnificata opera Dei* b: *Deus magnificatus vehementer* c, *& terribiliter* d: *magnificatus usque ad celos misericordia ejus* e: *& Deus ipse magnificare salutes* f: *& facere cum aliquo* g: *& super omne nomen sanctum tuum* h: *& ipse magnificari* à nobis i, aut à seipso K, & nos ab illo l. Quæ omnia non significant propriè virtutem magnificentiæ, sed potius quamdam præstantiam, & excellentiam, decorem, ac pulchritudinem, aut in operibus, aut in laudibus. *Magnificentiæ* nomen redditur versu 3. Hieronym. ubi canitur ejus non esse finem, vocaturque Græcè μεγαλωσύνη, Hebr. גדלה *ghedullah* Cald. רבנות *rabbanuth*. Meminit Chrysost. translationis alterius, ὡραιότητα τοῦ ἐπαίνου σου, *decorem laudis tuæ*: scholion quoque aliam recitat, τὴν μεγαλοπρέπειαν τοῦ ἐπαίνου σου, *magnificentiam gloriæ tuæ*. Apollinarius exponit, μεγαλοπρεπῆ σὺν χορδῇ ἔξοχον, *magnificam gloriam, illustrem*: sed sicut versu 4. tribuit operibus ipsis, ut illam ipsa narrent. In vetere Psalterio, apudque Augustinum additur conjunctio &: & in Romano, & apud Hilarium, atque Cassiodorum, *magnificentiam majestatis tuæ, & sanctitatem tuam loquentur*. Hilarius autem hæc distinguens notat, quod magnificentia, si quod in se est, tantum sibi habeat, habet admirationem, non habet laudem: & otiosa est aliis potentis operatio, nisi per operantis sanctitatem, usum aliquem ex se illis, qui laudabunt, & admirabuntur, impertiet. Ait etiam, quod sanctitas bona est, neque tantum sibi proficit, neque hoc, quod ex se est, intra usum commodi proprii consumit: præterea, quod ad provocandum in se aliorum beneficentiam sanctitatis officiis sese ipsa commendat; sed nihil de se dignum admiratione præstabit, si sibi sola sit: item, quod hoc proprium est, & admirabile sanctitatis, ut hoc, quod in se est, in usum aliorum, quibus est sancta, concedat, ipsa aliquo non egens; nisi forte per benevolentiam eo tantum, ut se alius utatur. Videtur Hilarius constituere sanctitatem in pia bene de aliis merendi voluntate, ac in beneficentia ipsa, quum suppetit facultas. Sanctitas, ut de creatura dicitur, latissimè patet, amplectens omnem virtutem, perfectionemque, præsertim puritatem legis, ac sapientiæ custodiam, & ornamento, pro Deo mortem obitam, postremo gratiam sanctificantem m. *Sanctum Sanctorum* est Christus n, & Deus auctor sanctitatis, quem perpetuo præconio trisagium hymnum Seraphim sanctum o decantant. Rectè Bruno explicat præsentem locum de prædicanda magnifica, & gloriosa sanctitate morum, atque virtutum, quam in hac vita Deus dat Sanctis suis. Putatus quoque Hieronymus facit Prophetam sic loquentem; Tu nos sanctos esse vis, dicens: *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum* p, hoc & nos cœteris loquimur.

[a tract. 35. in Joan. b ps. 91. 6. ps. 103. 24 c ps. 103. 1 d ps. 138. 14 e ps. 56. 11 f ps. 17. 54 g ps. 23. 30 h ps. 137. 2 i ps. 35. 4. ps. 68. 31. ps. 71. 17 k ps. 34. 27 l ps. 39. 17. ps. 69. 5. l ps. 19. 6 — Sanctitatis proprietates. — m August. de his in ps. 85. nu. 1459 n Dan. 9. 24 o Esai. 6. 3 Apoc. 4. 8 p Levit. 19. cap. 20]

Et mirabilia tua narrabunt.) Prius recitavi ex Hieronymo, & August. in Speculo, *& verba mirabilium tuorum loquar*. Hebraicè, ודברי נפלאתיך אשיחה *vedivre niphleothecha asichah*. Legisse LXX. credi potest ודברו *idberu, loquentur*, & conjunxisse membro præcedenti. Ultimum verbum, quod alias occurrit non semel, est futuri temporis primæ personæ. Sic autem & deinceps permiscentur personæ, ut nunc sit prima singularis, nunc tertia pluralis. Psalmista narrabat, & alii postea narraturi erant, ut Richardus Cenomanus observat. Recitat Chrysost. aliam translationem, καὶ τοὺς λόγους τῶν παραδόξων σου διηγήσονται, *& verba mirabilium*, seu *paradoxorum tuorum narrabunt*. Facit sæpè q mentionem David de narrandis mirabilibus Dei, aut cognoscendis, & meditandis, tum à se, tum ab aliis, quæ non sola sunt mirifica opera in Ægypto facta, & in egressu ex eo, atque in deserto, sed alia etiam plura, atq; sub illorum typo ea, quæ in Testamento novo facta sunt, & appellantur miracula, ac quotidie in Ecclesia sua Deus operatur, ut ait creditus Hieronym. idque per Sanctos etiam ipsos, ut Bruno dicit. Quo spectant admirabiles modi, quibus utitur Deus circa conversionem, conversationem, virtutum Sanctorum suorum. *Nonne Dominus*, inquit Sapiens r, *fecit Sanctos enarrare omnia mirabilia sua, quæ confirmavit omnipotens Dominus stabiliri in gloria sua?*

[q ps. 9. 2. ps. 25. 7. ps. 76. 17. ps. 74. 2. ps. 77. 4. ps. 95. 3. ps. 97. 1 ps. 104. 25 ps. 106. 8. 15. 21. 31. ps. 118. 18. 27. ps. 129 ps. 138. 14. r Eccl. 42. 17]

Vers. 6.) Et virtutem terribilium tuorum dicent, & magnitudinem tuam narrabunt.

[Sensus loci.] Nova quædam ratio hæc, modusve operum Dei, ac potentiæ circa opera, ut terribilia edat, atq; terrorē incutiendo, ejusdem potentiæ suæ magnitudinem manifestet. Tale diluvium, tales plagæ in Ægypto, talia tot deinceps in deserto, postq; possessionem terræ promissæ flagella, quæ nec desunt nunc, & quorum Christus nonnullum signum dedit, ejiciendo bis ementes, & vendentes de templo f. Virtus quoq; metuendorum dicenda, inquit August. quia Deus non tantum amabilis est, ac blanditur, sed manatur etiam, & terribilis est; prædicari debet regnum ejus æternum, sed tacere non oportet ignem æternum: laus Dei in via nos constituens ostendere nobis debet, & quid diligamus, & quid timeamus, & quid appetamus, & quid fugiamus, & quid eligamus, & quid rejiciamus; quoniam tēpus electionis nunc est, acceptionis postea erit. Quem vocant Hieron. virtutem terribilē attendit in ultione impiorum, ut Pharaonis; magnitudinem: quum justi eruuntur, ut Israel. Hilarius mirabilius esse ait, quod sanctitas, de qua priore versu, plena sit terroris, & quod terror suavis, & terribilis suavitas sit, quam quod nihil sibi proficiens in usum alienæ beatitudinis exuberet. Itaque videtur sanctum quemdam horrorem, ac terrorem intelligere, quem patit Ipsamet sanctitas, alioqui per se suavis, & blanda. Mirabilia opera intelligere possumus, ut à terribilibus distinguuntur, ea, quæ laude eximia, & amore digna sunt: terribilia, quæ præter admirationem laudis, & invitamentū amoris, adjunctum terrorem habent, redduntq; auctorem ipsorum verendū, ac venerandū. Sic decet majestatē regiam Dei, ut cum amore conciliet sui quoq; terrorem nonnullum, ac veneratione. *Dominum Deum* appellat Moyses t, *Deum deorū, Dominūq; dominantiū, Deū magnū, & potentē, & terribilem*. Quæ David videri potest hic transcripsisse. Hæc sunt judicia Dei, quæ tam sæpe idem Propheta decantat, & quidem simul cum misericordia u: cognominat etiam *Deum terribilem* x: sicut Moyses y, *terribile nomen ejus* z, conjungens sanctitatem: quo nomine utitur quoq; idem Moyses a, addens epithetum *gloriosi*: *terribilia opera* b, & nominatim in mari rubro. Esdras c, appellat simul *Deum magnum, fortem, terribilem*: Auctor Ecclesiastici d, *terribilem Dominum, & magnum*: Daniel e, *magnum, & terribilem*: quæ copulat alicubi f, David: Nehemias, *Dominum Deum omnium creatorem, terribilem, & fortem, justum, & misericordem, solum bonum Regem, solum præstantem, solum justum, & omnipotentem, & æternum* g: iterum Job h ait, quod *potestas & terror apud eum est*. Denique, ut alias dixi, primus in orbe deos fecit timor, & aliqui nomen *Deus* quasi à Græco δέος derivant, quod timorem significat. Rectè porro virtus, δύναμις, עזוז *ghezuz*, idest, *fortitudo, vis, robur*, jungitur terribilitati: qui enim fortis, potens, robustus non est, postremo qui obesse, ac nocere non valet, non timet, nec timetur. Expedit & meditari, & colloqui, & prædicare terribilia opera: judiciaque divina, ut his quasi frænis coerceamur, & à peccandi licentia retrahamur.

[f Joan. 2. 15 Matt. 21. 12 & seqq. t Deut. 10. 17 u ps. 100. 1 x ps. 46. 3 ps. 75. 8. 12. 13 ps. 65. 5. ps. 88. 8. ps. 95. 4 y Exo 15. 11 Deut. 7. 21 cap. 10. 17 z ps. 110. 9 a Deut. 28. 58 b ps. 65. 3. ps. 105. 22. c lib. 2. 1. 5. cap. 4. 14. cap. 9. 32. d cap. 43. 31 e cap. 9. 4 f ps. 88. 8 g 2. Machab. 1. 24. 25 h cap. 25. 2 — Timor Dei reverentiā auget.]

Et virtutem terribilium tuorum dicent.) Hieronym. atque in Speculo August. *& fortitudinem horribilium tuorum loquentur*. Alii, *vim miraculorum* exponunt: raffis, quia intelligunt miracula terrifica, in quibus nescio quo modo virtus, ac potentia videtur magis elucescere. Apollinarius in ipsismet narrantibus pavorem quemdam videtur agnoscere.

"Ἔργον δ' οὐκ ἐπιεικτὸν ἀνὰ στόμα δείματι μέλψει,
Opus autem non mediocre per os, pavore canent.

Et magnitudinem tuam narrabunt.) Hieronymus, & August. in Speculo, *& magnitudines tuas narrabunt*. Sed videtur vertendum, *magnitudinem tuam, narrabo eam*: est enim primæ personæ numeri singularis futurum verbum, quū affixo feminino tertiæ personæ, אספרנה *asapperennah*, & scribitur nomen cum affixo secundæ personæ singularis, גדולתיך *ghedullatheKa*, ubi superfluum est *vau* absq; puncto: quamvis numerum pluralē indicaret cum puncto *holem* ו, prout Hieron. legit, qui reddidit, *magnitudines*, plurales. Sed obstat in illo verbo alio affixum singulare: nisi dicas distributive accipi, nempe, *narrabo eam*, idest, unamquamque ex illis. In versu præce-

præcedente idem nomen Hebr. & Græc. μεγαλωσύνη exponebatur, Latinè *magnificentia*: & Chald. idem est utrobique, רבנות *rabbanuth*. Apollinarius explicat μεγαλαυχέα ἔργα, *magnifica opera*. De Dei perfectione infinita Hilarius, ac Rickelius interpretantur: & ille, quod in Deo id sit terribile, quod est suave, ac vice versa: & magnitudinem absque modo esse, ne si moderata esset jam magnitudo non esset semper abundans, nec tempore definita, nec copia.

Vers. 7.) Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt, & justitia tua exultabunt.

[Sensus loci.] Pertinet ad misericordiam hoc operum Dei genus, de quo sequentibus præterea duobus versibus agitur. In isto autem ait copiam, & abundantiam tantam esse divinæ bonitatis, atq; misericordiæ, qua etiam *plena* dicitur *terra* a, & hìc paulo post b, esse *super omnia opera Dei*; ut omnes generationes, illa, veluti repletæ, ac saturæ, memoriam ejus eructent, ac posteritati commendent: nec id tantum, sed præterea exultent ob justitiam Dei, hoc est, propter fidelitatem, qua beneficia promissa præstitit; & cuiq; etiam rei aptavit convenientes proprietates, prout ratio quædam justitiæ videbatur exigere. Justitia item Scripturæ consuetudine, idem potest valere, quod misericordia, & suavitas, vertitq; alius ut dicemus, pro justitia eleemosynas, sive misericordias. Opportune autem Deum Regem nunc laudat, laudandum affirmat à clementia, ne quis audita proximè ante terreretur terribilium virtute, & odisset potius metuendo, quam amaret venerando: terribilia vero intelligeret ad vindicandas juste allatas ab alio sibi injurias referri: quæ est misericors quædam justitia, ita ut *lætetur justus videns vindictam* c: suavitas quidem Hebræis fuit in manna potissimum, in aqua, in coturnicibus: justitia in vindicandis Ægyptiis, Amalechitis, & aliis hostibus. Verum non est ad hæc restringenda sententia. Abundantia suavitatis hujusce apparet, constatq; contemplanti opera tam varia naturæ, quorum nonnullum catalogum texit Chrysost. adeo multiplicia munera gratiæ, horum fontem incarnationem, postremo complementum beatificæ gloriæ. (O epulas felices; ait August. sic manduca, ut eructes; sic accipe, ut des: manducas, quum discis; eructas quum doces: manducas quum audis; eructas quum prædicas.) Accipit vero memoriam respectu Dei, quia memor fuit nostri, qui fueramus obliti ipsius, & respectu nostri, qua commonuit nos, ut & nos reduceret in memoriam, præterea exultationem de justitia Dei sumit pro justitia, qua ille nos justificat per gratiam, & qua non solum fecit nos, quum ante nihil essemus; sed & refecit justificando, quum ex traduce illius peccatoris, & maligni, atq; filii iræ natura essemus d. Putatus Hieron. refert suavitatem ad justos, qui foventur à Deo: justitiam ad impios, in quos ille ulciscitur, tum hìc, ut ait Bruno, tum in judicio. Hilar. longa, & eleganti oratione demonstrat quanta nobis oriatur delectatio ex meditatione temperatæ per suavitatē divinæ justitiæ; quidq; hac in parte apud homines differant misericordiæ, ac justitiæ opera. Tandem concludit, hoc in Deo præcipuum, hoc in potente laudandum; non cælum fecisse, quia potens est; non terram fundasse, quia virtus est; non annum astris temperasse, quia sapiens est, non hominem animasse, quia vita est; non mare in accessus, ac decessus movisse, quia spiritus est; sed misericordem esse, qui justus est; sed miserantem esse, qui rex est; sed dissimulantem esse, qui Deus est. Quocumq; accipias modo abundantiam divinæ suavitatis. Gregor. e, ad illos applicat istum locum, qui vitæ contemplativæ incumbunt; per infirmitatem vero mentis & corporis à sublimitate intensioneq; contemplationis subinde delapsi, memoriā interim eorum, quæ aliquando contemplati sunt, diligenter construant, suamq. memoriā subinde excutientes, de eadem species quasdam præteritæ contemplationis, cum dulcedine spirituali educunt, eaque ratione memoriam divinæ suavitatis, quasi de quodam memoriæ ventre eructant, recolendo, & loquendo, ac exclamando f, *quam magna multitudo dulcedinis tuæ*. Ipsemet August. g testatur se quum *invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiceret* h, sed faciem figere non valeret, repercussa infirmitate redditum solitis, nec secum tulisse, nisi amantem memoriam, & quasi olfacta desiderantem, quæ comedere non posset. Non est omnium hic ructus, nec

[a ps. 118. 64 b vers. 9 c ps. 57. 11 d Ephes. 2. 3 e hom. 5. in Ezech. f ps. 30. 20 g Conf. c. 17 h Rom. 1. 20]

omnes, hæc memoria pascit, ut ait Bernardus l, quoniam nemo quod non gustavit, sed nec quod tantùm gustavit, eructat: quum ructus non nisi de plenitudine, ac satietate procedat, & idcirco quorum secularis est mens, & vita sine devotione, & affectione, dies istos arida quadam consuetudine observent, natalitios nempè Domini dies, de quibus loquitur. Adjice istiusmodi hominibus *reliquias cogitationum diem festū agere non posse* K: non posse aliis *eructari verbum bonum ex corde* l, quod spirituali *musto* m esca ve *plenum* non est, non posse *labiis exultationis laudare os*, nisi *adipe & pinguedine repleatur anima* n; non posse esse *oleum effusum nomen eorum* o, quia, ut scribit idem Bernar. p, munere gratiæ perfusi non sunt: non posse esse *odorem bonum Christi*, ac vitæ q, quoniam nec dum *cucurrerunt in odorem unguentorum divinorum* r, neque illo afflati sunt; non posse *ex abundantia cordis* f bona loqui, cùm minimè bonum sit: nec *bona ex bono thesauro proferre* t, quoniā bonis vacuus est: *non possunt bona loqui* (sincere) *qui mali sunt* u: non possunt effundere non prius infusi, loqui, qui non audierunt, docere qui non didicerunt, *eructabunt*, ait noster David x, *labia mea hymnū, quum docueris me justificationes tuas*; aliis oleum dare, quibus vix sufficit, quod habent y, misereri aliorum, qui suæ non *miserentur animæ placere studentes Deo* z, ut adhuc admonet citatus bis Bernardus a, vocans eos, qui sunt tales, non conchas, sed canales. Rursum Gregor b, comparans prædicatores cum grandine quæ veniens, percutit, liquata rigat: docet id facere corda audientium terrendo quum feriunt, & blandiendo quum infundunt, sicq. virtutem terribilium Dei dicere, magnitudinemq; narrare, & memoriam abundantiæ suavitatis ejusdem eructare, & justitia illius exultare. De spirituali eructatione, si cupis, relege dicta Psalmo 44. ex eodem Bernardo c præsertim, & ex aliis ad illa verba: *Eructavit cor meū verbum bonum*: tum vero, quod ex Hieron. d, retulimus de ructu ex perceptione Eucharistiæ: qua nihil suavius, & in qua Christus non modo mirabilium suorum, sed suavitatum quoq. omnium esse *memoriam* voluit, *misericors, & miserator* e; quæ epitheta hic in Psalmo nostro statim subduntur, memoriam divinæ suavitatis in præsenti vita, ubi suavita perfecta non habetur, sed *memores memoria* tantùm *sumus, tabescitq; sic etiam anima nostra* f, & *memoriale* f *De in desiderio animæ est*, g, atq; *sicut vinum Libani* h, memoriam, inquam, istam eructari Hugo asserit multis modis, videlicet loquendo aliis, *quasi erumpente musto* i, ita ut *non possit se quis continere & non loqui* K: præterea in lachrmas, ut *flante spiritu divino, fluant hæ aquæ* l, devotæ ex oculis *recordantium Sion* cœlestis m, quod censeri potest *irriguum superius* n. Deindè *in risum quem facit Dominus* o & homini uni convenit, quia proprium est ei sentire dulcedinem Dei: adhæc in cantum, seu canticum, quod sit *sicut vox sanctificatæ solemnitatis, & lætitiæ grandis* p: tum etiam in saltum, quemadmodum David saltabat ante arcam q, item in lusum, tamquam *in choro ludentium* r: sed & in splendorem vultus, qualis erat Stephani angelico similis f, & Moysis t.

Memoriā abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt) Hieron. & August. in Speculo. *Memoriam multæ bonitatis tuæ loquentur*; alii, *Memoriam multitudinis bonitatis tuæ effundent*: nempè plenis quasi buccis, pleno veluti gutture. Vel, *magnæ*, seu *immensæ bonitatis tuæ*. *Memoriam* intelligit, aut quam Deus propter magnam suavitatem, bonitatem, misericordiam suam habet de nobis: aut quā nos de illo, ob eamdem caussam: scilicet, quia tali misericordia Deus nos afficit: sed primum communius. Abundantia suavitatis רב טוב *rab tub*, τὸ πλῆθος τῆς χρηστότητος, vel ut ex translatione alia Chrys. refert, ἀγαθωσύνης, phrasi Hebræa, qua substantiva duo, quorum aliud est in recto, aliud in obliquo ponuntur loco adjectivi, superlativi, afficientis substantivum: significant abundantem, copiosā, plurimam, & maximam suavitatem, bonitatem, benignitatem, misericordiam: quemadmodum versu 5. magnificentia gloriæ sanctitatis, magnificentissimam gloriā sanctitatis. De verbo eructandi ἐξερεύγεσθαι, הביע *hibbiahh*. dictum satis in explicatione verborum primorum Psalmi 44. simile prorsus verbum Chaldæum vertunt *personabunt*. Arabicè autem eodem pacto, vel, evulgabunt. Juxtà propriam *eructandi* significationem ad metaphoram inde sumtam pertinet etiam, ut Prophetæ jubeantur interdum comedere librum, in quo continentur propheticæ. Id legimus de Ezechiele u, & de Joanne x. Jeremias y, quoqe scribit se comedisse sermones Dei: sed & noster

[l Serm. 3. de odis. K ps. 75. 11 l ps. 44. 2 m Act. 2. 13 n ps. 62. 6 o Cant. 1. 2 p serm. 1. in Cant. q 2. Cor. 2. 15 r Cant. 1. 3 f Matt. 12. 34 t ibid. v. 35 u vers. 34 x ps. 118. 171 y Matt. 25. 9 z Eccl. 30. 24 a serm. 1. in Cant. b 29. mor. 11 c serm. 67. in Cant. d in Esa. c. 60. Epist. 28 & 146 e ps. 110. 4 f Thren. 3. 20 g Es. 26. 8 h Osea ult. 8 i Job. 32. 19 Act. 2. 13 K Act 4. 20 l ps. 147. 18 m ps. 136. 1 n Judic. 1. 15 o Gen. 21. 6 p Es. 30. 29 q 2. Reg. 6. 14 r Jer 31. 4 f Act. 6. 15 t Exod. 34. 29 u cap. 3. 14 x Apoc. 10. 9 10 y cap. 15. 16]

sedecim, magnitudinem Dei immensum, infinitam potentiam, magnificam gloriam, sanctitatem gloriosam, opera mirabilia, suavitatem, atque bonitatem inæstimabilem: quam eructant qui eam percipiunt, longanimitatem, & misericordiam, quæ generalis est super universa opera ejus; magnificentiam, & æternitatem regni ejus; dominationis perpetuam stabilitatem, veritatem in promissis, sanctitatem in omnibus operibus, miserationem in electione collapsorum, peccatorumque justificatione, liberalem omnium viventium educationem; facilitatem exauditionis bonorum; salvationem justorum, impiorum perditionem. Verum cuncta demum tendunt ad commendandum præcipuè Regnum Christi, ut Hilarius probat; quia de hoc regno tam crebra hic mentio fit *a*, quod regnum spirituale est, tum Ecclesiæ, militantis, tum triumphantis, & non carnale, ac temporale, ut Hebræi fingunt, asserentes tunc fore laudem istam Dei assiduam, quæ hoc, & sequentibus Psalmis continetur, quando collectæ fuerint, ut habetur Psalm. 146. *b*, *dispersiones Israelis*. Atqui jam Christus mortuus est, ut Hebræorum Pontifex nesciens quid diceret, vaticinatus *c*, est non tantum pro gente (ipsorum) sed etiam ut filios Dei qui erant dispersi, congregaret in unum. In finem quoque Psalmi nostri invitatur *omnis caro ad benedicendum nomini sancto Dei*, videlicet ut sit Israel secundum spiritum, & Dei *d*, ac spiritualiter verus *Judæus* e, idest, *cofitens Dominum*. Observat Cassiodorus, quem alii deinde sequuntur, deinceps alios sex psalmos usque ad ultimum, in Dei laudibus præconiisque versati; & cœlesti lætitia plenissimos videri, cùm in præcedentibus completa sint omnia: quibus humana ignorantia fuerat instruenda: in septenario quoque numero mysterium esse; quoniam eodem constant psalmi, qui sunt de pœnitentia; tot sunt dona Spiritus *f* sancti, tot Dominus præcepit in tabernaculo lucernas apponi, perpetuo lumine lucentes *g*: septies in die laudem dixisse se David *h*, cecinit, septem sunt Spiritus assistentes peculiariter Deo, & ipsum laudantes, de quibus Joannes in Apocalypsi, cum totidem candelabris, stellis, Ecclesiis, lampadibus, oculis, sigillis, tubis, tonitruis, diadematibus; ut omittam alios mysticos septenarios, de quibus nonnihil etiam egimus Psalmo 6. qui primus est pœnitentialium. Addit Bonaventura in istis Psalmis agi tantum de laude Dei, & de septiformi gratia, & de septem donis Spiritus Sancti: quæ dedit Dominus per septem apparitiones, quibus post resurrectionem apparuit. Donum timoris assignat primæ, quando accedentibus ad sepulchrũ mulieribus, terræmotus factus est: pietatis, quando Petro apparuit Christus, qui eum negaverat: scientiæ, quum euntibus in Emaus interpretatus est illis scripturas: fortitudinis januis clausis intrando; & vulnera ostendendo, quæ fortitudinem indicabant: consilii, frustra piscantibus consilium dando, ut rete mitterent in dexteram navigii partem intellectus, aperiendo sensum, ut intelligerent discipuli Scripturas; sapientiæ in die Ascensionis; quia usq; ad illam diem quasi per stultitiam salvos fecit credentes in se. Præterea notant cum eodem Cassiodoro, psalmum istum esse alphabeticum, & quidem perfectè; quia conveniunt quæ in eo tractantur, hominibus in hac vita perfectis; vel potius illis qui jam sunt in Ecclesia triumphãte: psalmi autem illi Alphabetici, quibus deest aliqua littera præfixa secundum ordinem initio versus, pertinent ad minus perfectos hic viventes, aut ad universum statum Ecclesiæ adhuc militantis. In ps. 24. disseruimus de psalmis Alphabeticis; hujusque artificii caussam potissimum esse, ut juvetur memoria. Quomodo autem in textu Hebræo desit versus unus inchoatur à littera נ *nun*, postea dicemus post versum 13. ubi alius additur Græcè, & Latinè. Si quid ratio illa Cassiodori valet nunc allata de perfecto Alphabeto, hæc perfectio minimè deesse debuit psalmo nostro, qui totus occupatur in Dei laude maximè perfecta. Postremo Cassiodorus in uno hoc psalmo concludi scribit breviter quæ in Scripturis sanctis late diffusa sunt; ut merito dici possint supernum horreum, ubi talis entheca rerum probatur esse cœlestium. Monet Chrysostomus hunc psalmum diligentissimè esse attendendum, quia habet hæc verba, quæ, qui sunt mysteriis initiati, assidue concinunt; *Oculi* i, *omnium in te sperantium Domine, & tu das cibum (escam) eorum in tempore opportuno*: quæ verba exponit ipse de mensa spirituali, deque carne, & sanguine Domini. Suspicor in Athanasio scribente de psalmis ad Marcellinum, quum recenset τοὺς τῶν αἶνον ἐπαγγέλλοντας, *eos qui laudem annuntiant*, mendum irrepsisse, ut dicatur ἐξα-

a vers.1. 11 12.13
b vers.2
c Joan.11.51
d Gal.6.16
e Apoc.2.9. cap 3.9
Notio nominis Judæi.
f Esai.11.2,3
g Ex.37.23
h Ps.118.164
Psalmi Alphabetici perfecti & minus perfecti qui dicatur & ad quos pertineant.
i vers.15

A Αποςει τελαχος & πεμπτος *centesimus trigesimus quartus*, pro τεσσαρακοστος & *quadragesimus*, &c. subjicit enim ceteros consequentes, usque ad postremum demto 149. & iisdem annumerat 46. 112. 116.

Vers. 1.) Exaltabo te Deus meus Rex, & benedicam nomini tuo in sæculum, & in sæculum sæculi.

Vers. 2.) Per singulos dies benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in sæculum, & in sæculum sæculi.

Sensus loci.

HOc est veluti prooemium, & propositum; argumentumve totius psalmi, nec non promissio ac votum, quo se David laudare perpetuo Deum velle profitetur, nominatim vero ut Regem, cui Rex ipsi subsit tamquam supremo Regum regi, & quem celebrare potissimum deceat, quia res cunctas optimè regit, & gubernat; præsertim hominem, quæque ad illum spectant, atque inter homines B peculiarem de Regibus curam gerit; quibus & salutem dare psalmo *k*, priore dixerat. Perpetua porro ista continuaque laus debet intelligi, vel pro statis, & certis horis, quas alibi *l*, septenas, vel vespertini, matutini, meridiani temporis esse dixit; vel quoad vixerit, opportuno tamen tempore; vel quia compositi ab ipso psalmi per alios ubique decantandi erant: vel quoniam hic quidem seu in hoc præsenti sæculo quantum fas esset per alias occupationes, id ipse facturus esset, deinde vero in alia beatorum vita, quod est sæculum sæculorum, semper absque ullo impedimento. His modis docuimus alias, quo pacto benedici Dominus queat *in omni tempore, semper laus ejus esse in ore nostro* m: & quod attinet ad tertium Athanasius *n*, scribit, quod sancti, qui sacra verba nobis suppeditant, comprecantur nobiscum, Deumque una nobiscum laudant, quum audiunt verba sua de ore nostro resonare.

k vers.10
l Ps.118.164
m Ps.34.2
n ad Marcellinum.

Exaltabo te, Deus meus Rex.) Vetus Psalterium, & Hilarius, Augustinus, Prosper, *Deus meus, Rex meus*: quo etiam pacto extat Græcè, ὁ Θεός μου, ὁ Βασιλεύς μου: C quamvis Hilarius interserat *&*. In Romano Psalterio, & Ambrosiano, apudque Cassiodorum, *Deus Rex meus*. Scholion Græcum notat versui per nigrum adjacenti nomen *Aleph*, exponi διδασκαλίαν, *doctrinam*. Sed circa significationes litterarum Alphabeti nunc immorandum non est, quum alibi de illa egerimus, Hilarius observat aliud esse per ea, quæ in operibus mundi à Deo instituti cognitioni nostræ subjecta sunt, ipsum magnificare, quod multi faciunt, aliud quod pauci, Regem sibi futurum velle credere, nimirum confitendo curam humanorum operum Deo esse, nec ad consolandam eorum, quæ impiè egerunt, conscientiam, præsumta animæ, & corporis abolitione, negando divinum in bonos, & malos constitutum esse judicium. Exaltari Christum ob Deum putatus docet Hieronymus, ab eo, qui scit æqualem Patri, ut Judicem, qui novit Judicem mundi: Ayguanus Deum per famam, intelligentiam, manifestam potentiam; Christum per passionem, resurrectionem, ascensionem, gentium conversionem, ultimi judicii executionem: Arnobius exaltari Deum, quanda Spiritum sanctum, quem in se per consecrationem Baptismatis sacri suscepit, non terrenis, & humillimis D cogitationibus humiliat, sed eum cœlestibus desideriis, & excelsis exaltat. Exaltatur Deus, inquit Rickelius, quum in summo sit, immo altissimos, infinitusq; ad eum modum, quo magnificatur, glorificatur, sanctificatur: videlicet, quoniam ejus magnitudinem, gloriam, sanctitatem, altitudinem, immensitatem, infinitatem agnoscimus, profitemur, prædicamus, veneramur, & exaltamus sublimiter laudando, reverentialiter colendo, magnificè prædicando, cunctis incomparabiliter præferendo, & quidem, ut Deum, Dominumve, per creationem, ac generalem supra res omnes excellentiam, ut Deũ, Dominumque nostrum, per fidem, & singularem erga ipsum devotionem nostram, ut Regem nostrum, per cunctorum, sed nostri peculiarem, atque continuam providentiam. Exaltationem Bruno ad activam vitã præsentis temporis refert, laudem ad contemplativam, quæ duratura sit in sæculum sæculi, hoc est, etiam in futura vita. Euthymius è contrario contemplationem rerum altarum, sublimiumque de Deo exaltari Deum docet, vel altitudinem ipsius ignorantibus declarando. Nicephorus complectitur non tantum Theologiam, seu sermonem de Deo, & hymnologiam:

giam: sed multo magis ἀγαθοεργίαν, bonam operationem, A per quam plus magnificatur, & glorificatur Deus. Conveniunt autem fere Latini dirigi sermonem ad Christum, cujus epithetum est peculiare, ut Rex dicatur, sicut ipsemet se constitum Regem dixit Psalmo 2. *a*. Porro à Davide appellatum Deum *Regem suum*, vidimus aliquoties in præcedentibus Psalmis *b*: & qua ratione dicatur à nobis *exaltari* c, vel *magnificari* d, vel *glorificari* e. Postremo rectè Chrysostomus admonet oportere, ut vicissim ostendamus magnam familiaritatem, & conjunctionem cum Deo, ut de nobis etiam dicat Deus, sicut & de Abraham, Isaac, & Jacob: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob*: si dicas enim, inquit, *Deus meus, & Rex meus*, ne voce dicas tantum, sed hanc etiam ostendas charitatem; ipse quoque hæc de te dicet, *Servus meus, & famulus meus*: quod etiam de Moyse dictum est. De hoc eodem affectu, quo quis Deum suum nominat, & quid requiratur, ut id vere usurpare quis possit, alibi diximus.

a vers.6
b Ps.5.3 ps.43.5. ps. 67.25. ps.73. 12. ps.83.4 ps.88.19
c Ps 29.2. ps. 33.4 ps. 58 17 ps.58.5.9
d Ps 33.4. ps. 34.27. ps. 39 17. ps.68.31 ps.69.5. ps. 71.17
e Ps.85.9.11 e Ps.85.9.12 ps 88.8

Et benedicam nomini tuo.) Alia Latina Psalteria, & Hi- B larius, Augustinus, Prosper, Cassiodorus in accusativo *nomen tuum*, sicut Græcè τὸ ὄνομά σου, & Hebræum שמך *scimha*, sic reddi potuit. Eadem prorsus constructio in Psalmo 95. *f*. Quid sit *benedicere nomini*, seu *nomen Domini*, & quo pacto sumatur *nomen* pro Deo ipso, alias notatum est. Benedictionem gratiarum actionis, & laudis monet Rickelius, non autem consecrationis intelligi debere. Non videtur satis apta distinctio Ayguani, ut *benedictio* derivetur à *bono*, & *dare*, quasi *boni datio*, atque hoc modo non posse à creatura benedici Deo: præterea ex *bene*, & *dico*, inque vel voce, aliove signo, ut sit laudare; vel re, ac facto, ut sit obedire, obsequi, servire: sic autem benedici Deo à creatura. Componitur dumtaxat *benedictio*, & *benedicere* ex verbo *dicere*, non autem ex *dare*, quamvis quia dicendo facit Deus, ipsius benedicere sit benefacere, ac beneficiis afficere.

f vers.2

In sæculum, & in sæculum sæculi.) Hieron., & August. *in æternum, & ultra*. Alii, *in sæculum, & in perpetuum*, לעולם ועד *lehholam vahhed*: quæ aliis locis psalmorum C redduntur, *in æternum, & in sæculum sæculi* g: & solum לעד *lahhad* interdum vertitur, *in sæculum sæculi* h: item לעולם *lehholami*: & Chrysostomus refert hoc loco aliam translationem, εἰς τὸν αἰῶνα διηνεκῶς, *in sæculum, perpetuo*: idcirco non potest firmum, perpetuumque discrimen esse, quod nonnulli statuunt inter hæc, *in sæculum*, ex una parto, & ex alia, *in sæculum sæculi*; ut priora denotent præsens tempus, futurum, ac æternum, seu æternitatem ipsam posteriora. Attamen vere dixit Hilarius, quod in sæculo isto quosq; benedicens Deum potest non semper in benedictionis officio permanere, dum aut luctu impeditur, aut metu occupatur, aut ægritudine anxius detinetur: & aut torpescente animo, aut ingrato in benedictionibus Dei mutus est: in illo autem alio sæculo habitu sæculi hujus exemto, jam in sæculum sæculi æternitatis successione renovabitur, & ab istiusmodi infirmitatum demutationibus liber erit. Eodem spectat Bruno, benedictionem accipiens de laude contemplativæ vitæ, quæ duret, nunc, & in æternum, ita ut exaltatio præceden- D tis membri referatur, quemadmodum prius monui, ad laudem activæ, quæ propria est præsentis vitæ.

g Ps.9.6. ps. 19. 6. secun. Heb. ps.20.5
h Ps. 18.10
i Ps.36.29
An inter hæc, in sæculum, & in sæculum, sæculi, firmum possit esse discrimen.

Per singulos dies benedicam tibi.) Hieronymus, & Augustinus in Speculo, *In omni die benedicam te*. In aliis Psalteriis, & apud Hilarium, & Augustinum, Prosperum, Cassiodorum, *benedicam te*: in quo accusandi casu Græcè dicitur, εὐλογήσω σε, & in utraque lingua (Hebræa namque utrumvis admittit) aliis in psalmis k. Moraliter August., & alii declarant de diebus prosperitatis & adversitatis; & ut quum finiti fuerint singuli dies, veneritque fine fine unus dies, eamus ex laudibus in laudem, sicut ex virtutibus in virtutem; interim hic *delectemur* tantum *in Domino* l, tanto firmius, quanto est ille certior, in quo delectamur; nec est, qui *gaudium* illud *tollere possit à nobis* m, nisi nos id, ac Deum ipsum dimittamus; nec nos ille dimittet, etiamsi aliquid triste acciderit. Profert August. exemplum Job, qui nomen Domini benedixit in summis calamitatibus *n*, & per singulos dies laudavit, qui in die tam tristi laudavit. Tandem appellat, breve magisterium semper Deum laudare, veroque corde, non falso dicere *o*, *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo*: item breve magististerium nosse, quod Deus misericorditer dat, cum dat; misericorditer aufert cum tollit; & quod laus flagellantis medicina est vulneris Chrysostomus ait, pium inprimis animum deprehendi hominis, qui à rebus, quæ ad victum pertinent, liberatus, se hymnis, laudibusque dedicat: turpe, ac absurdum esse, si ab aliis creaturis ea in re superetur, quæ quotidie, atque adeo singulis horis emittunt Domino glorificationem: ut de cœlis, & aliis operibus canitur psalmi 18. primis verbis: multo deterius nec venia, vel excusatione dignum, si quis maledictis illum impetat; & factus, ut ei placeat, ac regnum futurum consequatur, ejus quidem nullam rationem ducat sed curis eorum, quæ ad hanc vitam pertinent, rebusque mundanis se implicet. Percurrit mox innumera Dei beneficia privata, & communia, aperta, & manifesta, cognita, & incognita, corporis, & animi, naturæ, & gratiæ, incarnationis, & gloriæ. Arnobius moneri nos ait, quasi nuper inchoaverimus sine fastidio Deo servire, scilicet semper illud usurpanbo, *nunc cœpi* p. Grevæus *q*, allatam illã repetit tropologiam de diebus prosperitatis, & adversitatis ut in utrisq; benedicamus Domino: addit etiam de noctibus perversitatis, ut eas plangamus; & adversitatis, ut B gratias agamus: item de diebus prosperitatis, & virtutis, ut in ambobus hoc ipsum præstemus, quoniam *in die mandavit Dominus misericordiam suam, & nocte canticum ejus* r. Deinde distinguit septem dies, qui respondeant totidem Liæ filiis *s*, pro vita activa, & Job *t*, pro contemplativa; ita ut illi assignetur labor Jacob, quo servivit socero Laban septem annis; isti Spiritus Sancti dona septem. Præterea tribuit singulis diebus dona singula. Tandem adjicit id, quod prius ex Bonaventura retulimus, juxta hos dies septem, distingui septem psalmos laudis, ut & lucernas tabernaculi *u*, & oculos super lapidem unum *x*. Differentiam tradit Hilarius inter eos, qui bene de aliquo loquuntur, sed non laudat. Exempli caussa, abstinere à malo, benedictione dignum est; sed solum malum non admittere, non habet laudem, nisi mali abstinentiam, etiam gloria boni operis consequatur. Similiter beneficium quidem in nos benedicere, inquit, possumus, sed si & aliis vitiis aspersi sunt, nostro commodo benedicuntur, sed veri judicio non prædicantur. Subdit, quod perfectio Dei nihil in C se patitur pro parte, sed ut benedictus, ita & laudabilis est, illud pro beneficentia; hoc ob perfectas virtutes, quas in se habet: propterea mox hic adjici, *& laudabo nomen tuum in sæculum, & in sæculum sæculi*. Atqui ea ex parte, qua benedicimus alicui, laudare eum etiam possumus, quoniam beneficentia meretur laudem. In hymno, qui Ambrosii, Augustinique dicitur, & de quo alibi *y* egimus ponitur versus hic, mutatis paucis, *Per singulos dies benedicimus te, & laudamus nomen tuum in sæculum, & in sæculum sæculi*.

Tropologia
k Ps.157. ps. 25.12. ps 33 2 ps.62.5. ps. 65.5
l Ps.36.4
m Joan.16 22
n Job 1.21
o Ps 33.2
p Ps.76.11
q serm. 322
Tropologia
r Ps.41.9
s Gen.30.9 & seqq.
t cap.1.2
u Ex.25.3
x Zach.3.9
y in Ps. 32 22

Et laudabo nomen tuum in sæculum, & in sæculum sæculi.) Hieronymus, & Augustinus in Speculo, *in sempiternum jugiter*: quamvis in Bibliis Regis interseratur conjunctio, *&*, quæ in textu Hebræo extat, & quidem eodem modo, quo in primo versu, מעולםועד *lehholam vahhed*, ubi tamen transtulit Hieronymus, *in æternum, & ultra*. Græca utrobique sunt eadem, εἰς αἰῶνα, καὶ εἰς τὸν αἰῶνα τοῦ αἰῶνος. Huc spectat distinctio Hilarii; de qua dictum est, ut aliud sit benedicere, aliud laudare: tametsi non vide- D tur satis ratum discrimen.

Vers. 3.) Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non est finis.

Sensus loci.

INcipit exaltatio, benedictio, laudatio Dei nostri, Regisque nostri ab infinita magnitudine; ideoque ab infinita laudandi caussa, ut satis laudari, benedici, exaltari non possit, & id nos facere oporteat, quantum possumus, omnique virture, seu conatu nostro, ut nos Auctor libri Ecclesiastici *z*, adhurtatur: idque ad mortem usque, & assidue faciebat *a*, & non semel ipsi annotavimus, tum vero in simili sententia psalmi 47. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis*. Hoc etiam est *magnificare Deum in laude* b, & *adjicere super omnem laudem ejus* c: profiteri *mirabilem scientiam ejus ex nobis*, idest, præ nobis, *confortatam esse, nec posse nos ad eam* d. Tractat hic hunc locum Augustinus, si quem alium, egregiè. Summa est, non posse tantum cogitari Deum, quis plus possit, quum capi non possit Deus: & quum non sit illius magnitudinis finis non posse sufficienter laudari, nec laudem ejus finiri, sed laudari debere *in sæculum sæculi*, etiam post hanc vitam, post quã alia sequitur vita pro justis, pretio mortui Christi acquisita: interim

z Ec.43 33.34
a cap.51.8.15 17
b Ps.68.31
c psal.70.14
d Ps.138.6